



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Andreæ Vallensis Vvlgo Del Vavlx Andanensis, I. V. D. Et  
In Alma Academia Lovaniensi SS. Canonum Professoris  
Ordinarii, Paratitla Ivris Canonici Sive Decretalivm D.  
Gregorii Papæ IX. Svmmaria Ac ...**

**Delvaux, André**

**Coloniæ Agrippinæ, 1686**

4. De effectu Eucharistiæ.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62177](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62177)

*Distinct. 91.* imò etiam presentare presbytero, si necessitas vigeat, *d. can. Diaconos, & can. Presente ibid.* qua de re vide latius Azor. 1. p. *Institut. moral. lib. 10. c. 13.* Religiosi verò absque licentia speciali presbyteri parochialis vel concessione summi Pontificis Clericis aut laicis hoc sacramentum administrare non possunt sub pena excommunicationis, ipso facto incurrendæ, absolutione summo Pontifici reservata, *Clement. 1. De privilegiis.*

#### §. IV. De effectu Eucharistiæ.

1. Conferit gratiam vitæ summentibus.
2. Non sibi conscientia peccati alicuius.

I. In primis per illud seu in ipso recolitur memoria Passionis Christi, *can. Iteratur, & aliis pluribus, De consecrat. Distinct. 2.* Ritè summentibus conferit gratiam, Estque cibus & potus spiritualis, non corporis, sed animæ substantiam fulciens, *can. Non iste panis 56. d. Distinct. & quo restauratur, quod ex calore concupiscentiæ per venialia peccata deperditur: cuiusque sumptione transimus in carnem ejus, qui caro nostra factus est, scilicet Christi, can. In quibus 38. d. Distinct. illique unimur atque incorporamur, unum cum illo efficitur, ac de illius spiritu vivimus, can. Christus 57. cum duobus seqq. d. Distinct. 2. & æternæ vitæ simus participes, d. can. Christus & aliis d. Distinct. Peccata etiam venialia relaxat, *can. Si quotiescumq; & pluribus aliis ead. Distinct. \* 2.* Alioquin si quis conscientia sibi alicujus peccati mortalis, ac habens adhuc voluntatem peccandi, illud accipiat, nihil proficit ad mundationem, nec salutem acquirit ejus perceptione, sed damnationem, & gravatur magis, *can. Qui sceleratè eum can. seq. d. Distinct. 2.**

Denique, ut alios effectus omittam, conservat hominem à peccatis futuris, cum quatenus est cibus, cor hominis interius corroborans, augendo in eo habitum charitatis & gratiæ; tum quatenus, tamquam signum Passionis Christi, per quam victi sunt demones, demonum repellit asilutis,

### TITULUS XLII.

## De Baptismo & ejus effectu.

#### §. I. Quid sit Baptismus & quotuplex.

1. Unde dicatur Baptismus, & definitio illius.
2. Materia: 4. Forma. 5. Diversio.

POSTquam actum est de Sacramento Eucharistiæ, quo in sacrificio nihil esse majus potest, *can. Nihil. 8. De consecrat. Dist. 2. \* 1.* merito subiiciendum est de Baptismo, ejusque effectu, quandoquidem sit omnium aliorum Sacramentorum fundamentum, & janua vitæ spiritualis, *cap. Veniens inf. De presbyt. non baptizate,* quippe per quem transimus in numerum credentium Christo incorporamur, ejusque membra efficitur, *can. Quia passus 36. De consecrat. d. Distinct. 2.*

Baptisma autem Græcè idem est, quod apud Latinos Mersio seu Tinctio aut etiam ablutio, à verbo βαπτίζω, quod abluo seu mergo significat; nam à peccatis originali & actuali abluunt, *can. Regenerante 136. De consecrat. Dist. 4.* nec confertur ordinariè, nisi per mersionem aquæ, *c. penult. h. tit.* unde in sacris litteris passim vocatur Lavacrum regenerationis, & à Patribus Flumen gratiæ, Diluvium peccatorum.

2. Omissis autem aliorum definitionibus, in Catechismo Rom. definitur Baptismus esse Sacramentum regenerationis per aquam in verbo vitæ, *ex Ioan. 3. & Paul. ad Ephes. 5.*

Per particulam, regenerationis distinguitur à reliquis Sacramentis, saltem veteris legis, quæ non justificabant animas,

3. Per particulam, per aquam, aperte distinguitur à reliquis Sacramentis novæ legis, & simul exprimitur materia hujus Sacramenti, quæ est aqua, non quælibet, sed vera & naturalis, sive calida sive frigida *d. c. penult. h. tit. Conc. Trid. Sess. 7. cap. 2. De Baptismo.* Ideoque per aquam rosaceam aut aliam stillatitiam, aut per salivam, lacrymas, sudorem, lac. vinum, vel aliam similem liquorem, ab aqua naturali distinetur.